

baptismatis à Christo constitutam non mutauit Arius: sed *δοξολογίαν* peruertit. Nec enim ita Deo laudes cecinit, quemadmodum in orthodoxorum Ecclesiis fiebat, quia Hymnos suos sic concludebant Ariani, *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto*, pro eo quod in quolibet piorum cœtu ex vera Triadis fide & confessione dicebatur, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto*. Inde institutus est trifagijs ille, qui canebatur in Ecclesia, hymnus, pro quo tot postea contentiones sunt ortæ, sed tamen orthodoxus & utilis Ecclesiæ. Baptismum autem administrantes, non totum hominem immergunt vel intingunt, sed tantum superiores eius partes usque ad umbilicum, inferiores enim hominis partes baptismo iudicant indignas. Itaque ut ne aqua in caput effusa in eas deflueret, fasciis paruulos vel homines baptizandos ab umbilico ad imos usque pedes inuoluebant. Quem baptizandi ritum retinuerunt imprimis Eunomiani, post Eunomii in Pamphylia exilium, quo ab Imperatore Constantino multatus est. Nam hos etiam formam Baptismi postea mutasse scribit Socrat. lib. 5. cap. 24. de quibus conqueritur Chrysosto. Homil. I. in Galat. Atque hæc sunt pauca quidem numero, sed veneno & fœtore maxima erroris Arianorum capita, quæ Satã in magnam ipsius Christi contumeliam, & fidei Christianæ subuersionem & perniciosissima toti humano generi profudit. Siquis alias Arianorum hypotheses requirat, legat eorum sermonem qui extat apud August. Tom. 6.

CAP. L.

Audiani qui fuerint, & quod eorum dogma

t. ii.